Joh. Bakium orationem primam in L. Catilinam a Cicerone male abiudicasse demonstratur.

Quum initio huius saeculi Fr. Aug. Wolfius dubitare se dixisset, num omnes orationes Catilinariae a Cicerone conscriptae essent, non defuerunt, qui, quam ex quatuor orationibus ille improbasset, incerti, modo hanc modo illam in suspitionem vocarent. Nunc vero nulla est, quam non Tullio indignam esse homines docti censuerint. Nam postquam Cludius[1]) secundam, Ahrensius[2]) quartam, Orellius[3]) omnes tres posteriores abiecerunt, etiam primam, a Morstadio[4]) iam impugnatam, Rinkesius Batavus[5]) capitis damnavit, et Bakius[6]), magister eius, iugulavit.

Ac de tribus posterioribus orationibus quae in utramque partem disputata sint, non lubet exponere, quippe quum extra terminos, qui libellis scholasticis constituti sunt, egredi non liceat; satis habeo memorasse, argumenta ab adversariis, qui illas a Cicerone profectas esse negant, allata, non esse talia, ut vulgarem opinionem ex animis evellere potuerint. Ad primam me verto, qua nescio an nulla oratio Ciceronis magis sit celebrata pluribusque veterum testimoniis probata, non, ut eam ab omnibus falsis criminationibus defendam, quibus a Rinkesio insimulata est — nam illae iam a Bootio[7]) et Epkema[8]) reiectae sunt — sed, ut quibus argutiis Bakius, duo priora primae orationis capita explorans, (Scholic. Hypomn. Vol. V. p. 45 – 115) suam auctoritatem tueri studuerit, ostendam exemploque doceam, quo usque critici, ut opinionem praeiudicatam retineant, ingenii acumine saepe abutantur.

---

[1]) De authentia Sec. orat. Catil. in Seebodii tabulario philol. II. 4. a. 1827, p. 47—85. [2]) M. Tullii Ciceronis, quae fertur oratio IV in Catilinam. Recognovit, commentariis instruxit, a Cicerone abiudicavit E. A. L. Ahrens. Coburgi 1832. [3]) M. T. Ciceronis Orationes Selectae XV. Turici 1836. p. 176—182. [4]) Morstadii disputationem, quae inesse dicitur in programmate Schaffhusiensi a. 1844, legendi copia mihi non est facta. [5]) Disputatio de oratione prima in Catilinam a Cicerone abiudicanda. Scripsit S. H. Rinkes. Lugduni-Batavorum 1856. [6]) Scholica Hypomnemata. Scripsit Joh. Bakius. Vol. V. Lugduni-Batavorum 1862. [7]) Oratio prima in L. Catilinam. Recensuit et a M. Tullio Cicerone male abiudicari demonstravit J. C. G. Boot. Amstelodami 1857. [8]) Epistola Critica de oratione prima in Catilinam frustra a Cicerone abiudicata. Scripsit Petrus Epkema. Amstelodami 1857.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In dirimenda de orationibus Catilinariis controversia nullius nomenti esse externa argumenta[9]), sed ex sola loquendi consuetudine, utrum verae essent an Ciceronis nomen mentirentur, iudicari posse, contra Madvigium contendens, Bakius in commentatione, ab Academia Scientiarum Lugdunensi edita, tres postremas orationes puram et elegantem Latinitatem Tullianam non prae se ferre, demonstrare conatus erat. Quam quaestionem absolvere voluit demonstratione, „*in ipsa quoque prima Catilinaria ne unam quidem periodum indicari posse, in qua non vel linguae ingenium verborumque proprietas iugularetur, vel perpetua Tulliani sermonis consuetudo turpiter negligeretur*“ (Vol. V. p. 2). Praecipuis igitur capitibus ex illa commentatione excerptis atque praemissis, ad id, quod sibi proposuit, p. 35 his verbis se convertit: „Iam, quum dixissem, *in hac ipsa prima Catilinaria*, de qua nemo, quod scirem, adhuc dubitavisset essetne Ciceronis an minus, *ne tria quidem verba exstare, in quibus non posset notari linguae ignorantia et barbaries quaedam, simulatque cum ipsius Ciceronis constanti consuetudine compararentur*, nolui frustra a me flagitari, ut hoc ipsum dedita opera explicarem, ideoque sumsi *duo priora capita eius orationis, in quibus singula explorarem ita, ut stulti et inepti et indocti declamatoris vitia*

---

[9]) Externa argumenta non sunt contemnenda. Primum, quattuor orationes Catilinarias a Cicerone scriptas esse, legitur in libri II. Epistol. ad Atticum 1 §. 3, ubi *Cicero ipse* eas distincte significat. Cuius loci auctoritas ab Orellio et Rinkesio frustra impugnata est. Nam quum certis argumentis demonstrari non possit, a quo, quo consilio, quo tempore ille locus suppositus sit, statuendum est, verba esse Ciceronis. Contra Orellium exstiterunt Madvigius in Opuscul. Academ. Vol. II, p. 399 sqq., et Hagenius in dissertatione de Ciceronis Catilinariis, Regimonti 1851. Quae Rinkesius, ut sententiam Orellii defenderet, nova attulit, ea captiosius, quam verius excogitata sunt. Deinde prima oratio per se ipsa etiam ab aliis testibus locupletibus confirmatur. Agmen ducit *Salustius*, Catil. c. 31 scribens: „Postremo (Catilina) dissimulandi caussa aut sui expurgandi — in senatum venit. Tum M. Tullius consul — *orationem habuit luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scriptam edidit.*“ Verum esse hoc iudicium, docuit *Adam* in libello: Abhandlung über den rednerischen und staatsmännischen Werth der ersten Catilinarischen Rede. Heilbronn 1855. Temporis ordine succedit *Asconius Pedianus* († 88 p. Chr.), clarissimus scriptorum Tullianorum interpres, qui in commentario ad Pisonianae §. 4. p. 6. Orell. errorem a Cicerone in temporis computatione commissum castigans haec addit: „Itaque idem Cicero *in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu*, cum octavus decimus dies esset, posteaquam factum Sctum, ut viderent consules, ne quid detrimenti res publica caperet, *dixit vigesimum diem habere senatus consultum* . .“ In commemorando illo Scto Asconium sibi imponi passum esse, quum Rinkesius, falsa ratiocinatione usus, contendat, veterem grammaticum ab ἀκρισίας crimine recte defendit Bootius p. XII sq. Tertio loco nominandus est *M. Fab. Quintilianus* (42—118 p. Chr.), magister artis oratoriae, qui ad illustranda dicendi praecepta XV locos*) ex hac oratione desumsit, unde apparet, eum de virtutibus orationis a Salustio non dissensisse. Praeterea initium huius orationis plurimi citarunt scriptores, in iis primus *M. Seneca rhetor* in Suasoria VII fere extrema. Eius testimonium secundo loco ponit Bootius p. X, et quod Seneca per aetatem Ciceronem cognoscere potuerat, et quod verba: *Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* filium Ciceronis facit dicentem. At frangitur huius testimonii auctoritas eo, quod pro nomine *Catilinae*, cui Bootius maximam vim tribuit, in editione *Bursiana* (Lipsiae 1857) legitur *cantilena*.

---

*) Instit. Orat. IV, 1, §. 68. V, 10, §. 99. VIII, 4, §. 10 et 13. VIII, 6, §. 15. IX, 2, §. 7, 26, 32, 45. IX, 3, §. 19, 29, 30, 44. IX, 3, §. 45, 62, 71.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

denudarem: et confido, qui mihi de hac particula concesserint, reliqua facile largituros esse."

Qualia quantaque sint, quae concedi vult Vir Clarissimus, ex sequentibus apparebit; ego non concedo vereorque, ne omnino ille sit nimis confisus. Placuit, ut verba Ciceronis facilius possent comparari, duo capita, de quibus disputatur, secundum editionem Halmianam oculis subiicere.

Caput. I.

1. Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? constrictam omnium horum scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? 2. O tempora, o mores! senatus haec intellegit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem, viri fortes, satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te conferri pestem istam, quam tu in nos machinaris. 3. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum, mediocriter labefactantem statum rei publicae, privatus interfecit: Catilinam, orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium, novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coërcerent. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave; non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

Cap. II.

4. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret ne quid res publica detrimenti caperet: nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspitiones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus; occisus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permissa res publica: num unum diem postea L. Saturninum tribunum pl. et C. Servilium praetorem mors ac rei publicae poena remorata est? At vero nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim huius modi senatus consultum, verum inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum, quo ex senatus consulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit. Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri; sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemno. 5. Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus conlocata, crescit in dies singulos hostium numerus, eorum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non potius hoc omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod iam pridem factum esse oportuit, certa de caussa nondum adducor ut faciam. Tum denique interficiere, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur. 6. Quam diu quisquam erit qui te defendere audeat, vives, sed vives ita, ut vivis, multis meis et firmis praesidiis oppressus, ne commovere te contra rem publicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

§. 1. *Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* „Qui haec scripsit, non reputavit *tandem* in ipso introitu orationis dici nullo modo posse, ut neque alias coniunctiones eiusdem generis. Usurpatur *tandem* in urgendo, post plura iam ante dicta.“ B. — Qui interpres, cur orator exordium omiserit, consulto non quaerit caussam, in suam rem multos sane locos afferre potest, ubi *tandem* post plura dicta ponitur; qui vero Catilinam, quum iam nota essent, quae contra rem publicam moliretur, in senatum, ad evertenda eius consilia convocatum, venire senatoribusque adsidere ausum esse, perpenderit, non desiderabit, quo referat *quo usque tandem,* et, consulem, ira atque indignatione commotum, non gravius potuisse castigare hominem impudentissimum quam verbis, quibus inchoat orationem, concedet. Praecessit non dictum quidem, sed factum aliquod extremum; suo igitur iure orator id statim initio particulis pressit *quo usque tandem,* quarum altera *tandem* non est nisi instandi gratia assumpta (Quintil. IX. 2. 7.), ut in locis: Salust. Catil. 20, 9: „Quae quo usque tandem patiemini, fortissimi viri?“ Livius 6, 18, 5: „Quo usque tandem ignorabitis vires vestras?“ — *abutere patientia nostra.* „Hoc reprehendendum, quod non ante significatum est, in quibus perferendis illa *patientia* cerneretur.“ B. — Non necesse erat id significari, quod Catilina ipse non ignorabat, se, quum apertis consiliis nefariis, tanquam hostis patriae in senatum veniret, fecisse, quod et consulibus et senatoribus perferendum non esset.

Quam diu etiam. „Sine exemplo iunguntur *quam diu etiam,* nec iungi oportere puto: in coniunctione non ferendus pleonasmus inest.“ B. — Minime in hac coniunctione inest pleonasmus. *Quam diu etiam furor eludet,* idem est quod: *quam diu perget* furor eludere? *Etiam* vim vocis, cui appositum est, ita auget, ut nostrum nodi, recteque cum hoc loco Halmius comparavit *vixdum etiam* §. 10. huius orat. *nihildum etiam* Verr. IV. 9. et, quae saepe leguntur, *etiam tum, etiam nunc.*

furor iste tuus. „Inscitiam scriptoris arguit, quod pronomen *iste* posuit. Nam *iste,* ut aliud quodvis pron. demonstrativum ponere non licebat, nisi quum vel ex antecedentibus intelligi potuisset, vel statim subiiceretur, quanam in re *iste furor* cerneretur.“ B. — Quum senatus iam viginti ante diebus (cap. 2, 4) permittendam consulibus rem publicam censuisset, opus erat, credo, oratorem accurate exponere, qua in re furor Catilinae cerneretur. Nisi B. vellet nodum in scirpo quaerere, non dissimularet se scire, pronomina demonstrativa *iste* et *ille* non minus ad res, quas iis, apud quos dicitur, notas esse sumitur, quam ad eas, quae ante commemoratae sunt, saepissime referri.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

furor (nos) eludet. „Perperam dicitur *furor aliquem eludere*, quae prosopopoeia prorsus discedit a modesto et sano usu verborum, quem Cicero servare solet.“ B. — Accusativo *nos*, qui, quod suspectus est, et a Madvigio et ab Halmio (in IV. editione) recte omittitur, deleto, nihil est, quod in hac prosopopoeia offendat. Ipse dicit B., *eludere* absolute positum idem esse ac *iactare se* ita, quasi aliorum remissio impunitatem quidvis agendi tribueret; qua significatione legitur Verr. III, 9. „Quid? hoc cuiquam ferendum putas esse — istum rebus omnibus undique ereptis impune *eludentem* circumfluere atque abundare?“ et Milon. c. 12, 32. „Atqui Milone interfecto Clodius hoc assequebatur, ut — speraret, se posse *eludere* in suis cogitatis furoribus.“ Iam quum in interrogatione statim subsequenti *audacia sese iactare* dicatur, quidni *furorem eludere* dici liceat, quum verba *eludere* et *se iactare* similia sint? At respondet B., aeque pravam esse loquendi formam *audaciam sese iactare;* nam non ipsa vitia, sed homines in vitio *se iactare* dici. Id non verum esse docet exemplum Attic. 1, 16, 7 *alacris exsultat improbitas.* An non est vitium *improbitas?* Nonne item *exsultare* proprie *homines* tantum dicuntur? — Omnino rationes, quibus B. translationes, unde mira oritur sublimitas, a Tullio abiudicare conatur, futiles sunt.

Quem ad finem sese effrenata iactabit audacia. Quum B. non possit non concedere, recte per se dici *quem ad finem*, exempla: Coel. §. 11. „*quem* ergo *ad finem* putas custodiendam illam aetatem fuisse?“ Verr. V. §. 75, „piratam vivum tenuisti. *Quem ad finem?* Dum cum imperio fuisti.“ ita interpretatur, ut voci *finis* notionem subiiciat, unde possit perversam huius loci sententiam extorquere. Dicit enim, „et his et aliis exemplis effici, in illa forma loquendi de eiusmodi rebus cogitari, quarum certus finis aut modus consilio et voluntate definiri possit; atqui non cadere hoc in *effrenatam audaciam* quae *se iactet;* quam quis consilio aut prudentia cohibere putandus sit?“ Sed *quem ad finem* saepius nihil aliud significare quam *quem ad temporis terminum*, idemque fere esse quod *quam diu*, pro certo affirmari potest. Cf. Nat. D. II. 51, 129. „Quid dicam, quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque iis, quae procreaverunt, *usque ad eum finem*, dum possint se ipsa defendere?“ Tacit. Ann. XIV. 52 „*quem ad finem* nihil in re publica clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur?“ — Pergit B: „Abutitur scriptor adiectivo *effrenata.* Neque hoc *audaciae*, nec *sceleri*, nec *improbitati*, nec *amentiae* tribui solet, nec potest, sed *furori* aut *libidini*, aut *cupiditati*, aut *menti*, aut *violentiae*, aut *appetentiae*, siquidem haec postrema omnia ipsa per se impetum quemdam declarant.“ De *scelere, improbitate, amentia* concedo, de *audacia* non concedo. Nonne impetum factum esse necesse est, quum dicitur *audaciae cedere* Caes. 1, 2. *comprimere audaciam* Phil. X, 5, 11. *contundere et frangere audaciam?* Ibid. XIII, 13, 29. Cf. Off. I, 19, 63. „*Animus paratus ad periculum*, si sua cupiditate — impellitur, *audaciae* potius *nomen habeat* quam fortitudinis.“

Nihilne te — moverunt. Praefert B. formam interrogandi, a Mureto ex veteribus libris allatam, *nihil te*, quippe quae in primis deceat indignationem interrogantis, sed totum hoc *nihil te ista moverunt* tempore verbi vitiosum esse dicit: postulari *nihil te movent*, quoniam non de eo, quod iam perpetratum et confectum sit, sed de continuando nefario consilio sermo sit. Immo hoc quidem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

loco de rebus sermo est, quae Catilinam, quominus nefarium consilium continuaret, prohibere debebant; nam consul hominem impudentem interrogat, nihilne ista, quae sibi adversaria animadvertisset, quum in senatum veniret, animum eius moverint. Falsa est igitur opinio Bakii, horum ora vultusque ad praesentem aspectum pertinere; recte ad indignationem referuntur, qua Catilina ingrediens exceptus est, id quod iam Muretus adnotavit: „Cum omnes te ingredientem aversati eam partem subselliorum, ad quam tu accesseras, reliquerunt.“ Cf. Catil. II. §. 12.

nocturnum praesidium. Frustra impugnat B. *nocturnum*, quod praesidio adiici negat, quoniam perpetuo *nocturnum* id dicatur, quod noctu *fiat.* Quamquam, huic definitioni duo exempla: *horae nocturnae* Rosc. Am. §. 19. et *nocturni milites* Verr. IV. §. 95. Rinkesium obiecisse, ipse dicit p. 106, tamen mordicus tenet opinionem, minime ea defendere *nocturnum praesidium*, ut significetur, quasi nocte Palatio praesidium imponi. At non necesse est hoc significari. Praesidium nocturnum Palatii milites sunt, qui Palatium noctu custodiunt, ut *fur nocturnus* (Milon. §. 9) homo est, qui noctu furtum facit.

urbis vigiliae. „Plurale *vigiliae* non admittit alium genitivum, nisi eius, qui vigilat.“ B. — Quam diu Vir. Cl. non probaverit, vigilias nullo loco homines esse, qui vigilent, (cf. *vigilias crebras ponere et eas ipse cum legatis circumire* Sal. Jug. 45, 2. *vigilias disponere.* Liv. 39, 4. Caes. b. c. II. 19 ctt.) licebit praeceptum eius negligere et putare, *urbis vigilias* aeque recte dici ac *praesidium Palatii.*

timor populi. „Ut *metus*, aliaque similia, ita *timor* non tantum adsciscit genitivum obiecti, sed etiam eius cui tribuitur. Sed non negligendum, singulis tribui timorem oportere, non collectivo nomini, ut *populo.*“ B. — Cur *singulis* tribui timorem oporteat, *populo* non oporteat, fateor me non assequi, neque magis, cur in vitio sit, ut contendit B., in Ep. ad Brutum 3, *civitas perculsa magno timore.* Nam si simili loco: Agrar. II. §. 8. „Ego qualem — acceperim *rem publicam* — intelligo; *plenam sollicitudinis*, *plenam timoris;*“ a Cicerone dicit non sane intelligi, ipsam rem publicam tum timuisse, sed eam tum fuisse conditionem, ut multi, *prope omnes* timerent, quaero, num magnum discrimen sit inter *prope omnes* et *omnes.* Eadem hyperbole, qua Cicero, Salustius in describenda civium trepidatione, quae illo tempore erat, Cat. cap. 31, 2, usus est: „repente *omnes* tristitia invasit,“ neque Caesar dubitavit contra Bakii praeceptum scribere, bell. gall. I, 39, 2: „tantus subito *timor omnem exercitum* occupavit.“ Pluribus exemplis non opus est in re tritissima. — Pergit B. abuti acumine in interpretatione verborum *populi timor.* „Hoc quoque reprehendendum est, quod ita dicitur, quasi Catilinam *populi timore moveri* oportuisset. Suo ipse quis metu aut timore moveri dicitur, non item aliorum timore, nisi ex eius indiciis, quae animadverti possint.“ At Salustii Catil. c. 31 qui legit, persuasum habet, indicia timoris populi tum manifestissima fuisse.

nihil concursus bonorum omnium. Duplex est lectio: *concursus* et *consensus.* Utrumque perperam et inscite dici censet B. Contra lectionem *consensus* quae attulit, omitto, quamquam non probo: nam dubium non est, quin altera lectio *concursus* praeferenda sit et propter codicum auctoritatem et propter ipsam sententiam. Ex Bakii opinione *concursus* alienissimus est ab iis, qui Romae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

boni habebantur, id quod minime concedendum est. Quidni Romae boni concurrere potuerint, ut periculum imminens a re publica averterent? Concurrerunt, ut recte monet Halmius, ad templum Iovis Statoris, ubi Senatus habebatur, ex parte armis instructi et ad auxilium ferendum, si opus esset, parati. Eidem interpreti assentior lectionem *concursus* ideo aptiorem habenti, quod ceterae res, quas orator enumeret, tales sint, ut in sensus cadant. — Adnotationes: „improprie h. l. *omnes boni,* in concursu scilicet, ponitur" et „quum non dicatur *hic concursus,* ita ut cogitaremus nunc ipsum, dum in curia esset senatus, concursum illum factum esse, necessario de perpetuo aut quotidiano concursu cogitandum erit" nugatoriae sunt.

hic munitissimus habendi senatus locus. Perversa est Bakii interpretatio, haec sic dici, quasi senatus nunc praeter consuetudinem in templo Iovis ideo haberetur, quod locus ille sive manu sive natura munitissimus esset. *Locus* enim propterea appellatur *munitissimus*, quod erat praesidio equitum aliorumque civium fortissimorum confirmatus. cf. c. VIII. §. 1. „Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima, sed etiam illi equites Romani, qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre et studia perspicere et voces paulo ante exaudire potuisti."

Patere tua consilia non sentis? „Abutitur scriptor verbo *patere*, in hac sententia; siquidem ea *patere* dicuntur in bona Latinitate, ad quae facilis aditus est; et *consilium alicuius patet,* nihil aliud est, quam *praesto est* aliis." B. — Frustra B. locos, qui suae sententiae repugnant: Sull. §. 4. „ista coniuratio, si patefacta per me est, tam *patet* Hortensio, quam mihi." et Milon. §. 76. „Fingi haec putatis, quae *patent*, quae nota sunt omnibus, quae tenentur" argutiis persequitur. Ad Sull. §. 4. quum adnotavit, in coniuratione occultum quid intelligi, in consiliis non necessario, suo sibi argumento confutatus est; nam coniuratio *consilia* coniuratorum comprehendit. Ad Milon §. 76. quod attinet, quis id, quod Bakius cum Lambino sentit, pro *patent* legendum esse *parent,* codicum auctoritati praeferat?

constrictam omnium horum conscientia teneri coniurationem tuam non vides? „Duplici modo peccatur contra perpetuam sermonis indolem. Primum, *coniuratio* quod *constringi* dicitur. Alterum, quod defendi nullo modo potest, hoc est, quod coniuratio dicitur *constricta* aliorum *conscientia.*" B. — Magna cum vi verbum *constringere* ab immani quadam et rabiosa bellua in *coniurationem* transferri, nemo non sentit. Quod B. obiicit, *constringi* tantum ea dici, quae extranea vi quadam prohibeantur quominus erumpant et se profundant, id non verum esse, docent exempla: „Balb. §. 12. „Quum Graeci homines — noluerint *religione* videri potius, quam *veritate, fidem constrictam*" (adnotat B: „scil. eius, de cuius fide agitur:" quid hoc ad rem?). De Fin. 1, 47. „Plerique — tradunt se *libidinibus constringendos.*" Liv. XXXIV, 3. „Recensete omnia muliebria *iura — quibus* omnes *constrictas* vix tamen continere potestis." Quint. II. 13, 1. „*leges* immutabili *necessitate constrictae.*" Neque magis verum est, quod B. addit, nihil esse quod *coniurationem constringere* possit, quoniam consensu tantum quorundam constet. Minime coniuratio consensu tantum constat, sed etiam, ut nemo nescit, eum habet finem, ut ex consensu agatur. — Ad improbandam loquendi formam *coniuratio constricta conscientia* (Halm. *scientia*)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nihil valet subtile argumentum, sua quidem quemque conscientia stimulari, fortasse etiam constringi posse, sed transferri ista non posse in aliorum conscientiam, cui nullam coërcendi vim tribuere liceat. Nonne studia coniuratorum, si aliis patefacta sunt, accuratius observantur ab iis, qui ea norunt, ut non prospere procedere nec ad finem perduci possint? Itaque *ipsa* hominum *conscientia constringi* dici possunt.

quid proxima, quid superiore nocte egeris. Quum in his verbis nihil repererit, quo sermonis latini proprietas offendatur, B. scriptori vitio vertit, quod sibi non constiterit in tempore indicando, quoniam §. 9. non nisi unius i. e. proximae noctis mentionem faciat. At §. 9. non nox *proxima* (VII — VI Id. Novb.), sed *superior* (VIII — VII Id. Novb.) significatur, qua coniurati in Laecae domum convenerunt. Necesse est igitur hac quoque paragrapho de duabus noctibus cogitari, quarum proximam fuisse eam, quae diem, quo oratio habita est (a. d. VI. Id. Novb.), praecesserit, verisimile reddidit Halmius in praefatione ad Oratt. Catil. not. 55. Qui hunc locum emendandum esse censuerunt, aut *quid proxima superiore nocte,* aut, sine ulla veritatis specie (Boot.), *quid proxime, quid superiore nocte egeris* proposuerunt. Neque vero illi perpenderunt, in repetitione pronominis *quid* vim inesse, qua *nox superior* efferatur; nam eam noctem Cicero Sull. §. 52. omnium temporum coniurationis acerrimam atque acerbissimam dicit.

quos convocaveris. Inanis est metus Bakii, ne scriptor abutatur verbo *convocandi* in clandestino consilio. Quid est enim, cur Salustii auctoritatem recte contemnat, Cat. XXVII, 3. scribentis: „intempesta nocte coniurationis principes *convocat* per Porcium Laecam“?

§. 2. *O tempora, o mores!* Haec suo iure Cicero in vitam revocatus de Bakio exclamare posset. Ne voces quidem, quae in proverbii consuetudinem venerunt, censor intactas reliquit, scribens: „Fac istud de *temporibus* probari posse, nihil tamen istuc pertinent *mores*, qui *in privata vita* spectabantur.“ At publicum morem, quem senatus *nunc* sequitur, orator publico mori opponit, qui *olim* fuit, unde diversitatem *morum* oriri, facile est ad perspiciendum. Mirum est igitur, eam comparationem a Bakio non esse perspectam.

Senatus haec intellegit, consul videt. „*Haec* necessario ad modo antecedentia referendum: itaque nihil aliud velle potuit scriptor, nisi *Senatus haec novit*, quod tamen isto modo dicere non licebat.“ B. — Minime. Pronomen *haec* indicat praesentem rei publicae statum i. e. periculum, in quod res publica illo tempore erat a Catilina adducta. *Intellegere* igitur non idem valet ac *nosse*, sed iudicandi eventum significat. — *Consul videt* „propemodum absurdum est, quum consul ex istis omnibus nihil viderit, sed omnia per nuntios et literas compererit.“ B. — Absurde dixit interpres. Probo, quae Bootius Rinkesio respondit: „*Videre* toties apud omnes, qui Latine scripserunt, ab oculis ad mentis actionem refertur, idque tam omnibus notum est, ut, si haec exemplis confirmarem, ne tironibus quidem prodessem.“

Hic tamen vivit. „Talia cum dolore aut cum indignatione obiiciebantur aliis: hic autem cui istud exprobrat, nisi sibi ipse?“ B. — Immo maxime senatoribus; nam ei ipsi illud curae esse, ut in coniurationis auctorem gravissime

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

animadvertatur, luce clarius est; contra §. 30. nonnullos senatores castigat, qui aut ea quae immineant non videant, aut quae videant dissimulent; qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerint coniurationemque nascentem non credendo corroboraverint.

immo vero etiam in senatum venit. „*Immo vero* tum poni solet, quum corrigitur et negatur id quod praecesserat; ex quo usu haec ridicula oritur huius loci interpretatio: tantum abest ut vivat, ut etiam in Senatum veniat.“ B. — Prudentissimus quisque facillime intelligit: tantum abest, ut recte dicatur: *vivit*, ut etiam dicendum sit: *in senatum venit.* Est igitur sententiarum nexus is, quem B. particulis *immo vero* indicari statuit. Corrigitur verbum *vivere* ita, ut negetur id recte dici. Nostra lingua illa sic reddimus: Er lebt? Nein, das ist nicht das Richtige, was hier gesagt werden darf; er kommt sogar in den Senat. Possunt autem etiam sic verti: Er lebt? Ja, was noch mehr ist, er kommt sogar in den Senat. Ne B. inde colligat, quod suae opinioni faveat, haec adiicio. Omnino particulae *immo* talis est vis, ut corrigat et augeat; *vero* tantummodo affirmandi caussa additur (cf. libri, qui latinae grammaticae praecepta continent). Utrum corrigendo id quod praecessit negetur, necne, non ex addita particula *vero*, sed ex sententiarum nexu vel ex significatione verborum, quae sibi opponuntur, iudicari potest. Comparentur exempla. In suam rem B. praeter alios locos affert Off. III. §. 90. „si patriam prodere conabitur pater, *silebitne* filius? *Immo vero obsecrabit* patrem, ut ne faciat.“ Concedo negari *silebit.* Sed non eadem est ratio aliorum locorum, quos B. citat: Att. XII, 43. 1. „Ferendus tibi in hoc meus error. *Ferendus? Immo vero etiam adiuvandus.*“ Non negatur *ferendus;* nam Cicero vult ferri errorem, sed, quod plus est, petit, ut ille etiam adiuvetur. Neque magis vocibus *immo vero* ea, quae praecedunt, negantur, sed tantum corriguntur et augentur in locis: Att. II, 4, 2. „nos delectabimus *animo aequo, immo vero etiam gaudenti ac libenti.*“ et Att. V, 13, 3. „si intelligis, quam meum sit scire et curare, quid in re publica fiat: — *fiat autem? immo vero etiam quid futurum sit,* perscribe ad me omnia.“ Quod Bakius praeterea observasse sibi videtur, simplex *immo,* non addito *vero,* corrigentis esse, sed in eadem sententia manentis, id multis exemplis refellitur. Sull. §. 53. „Ubi fuit Sulla? Num Romae? *immo* longe abfuit.“ Att. IX, 7, 4. „Causa igitur non bona est? *Immo* optima.“ Rosc. Comoed. §. 4. „Non conficit tabulas? *immo* (conficit) diligentissime.“ Plaut. Capt. II, 2, 39. „Tenaxne est? *immo* pertinax“ ctt.

in senatum venit, fit publici consilii particeps. „Minime licebat Catilinam appellare *publici consilii participem,* quoniam eo nomine collectivo Senatus indicatur.“ B. — Sane quidem Senatus saepe appellatur *publicum consilium,* attamen non semper *publico consilio* significatur *Senatus* sive *eius auctoritas*, ut B. contendit, sed interdum etiam *ipsa* de re publica *deliberatio,* ut Agrar. II, §. 91. „nec concionandi potestas erat cuiquam, nec *consilii capiundi publici*“ et Liv. 23, 22. „ad *publicum consilium* convenire.“ Quare absurdum est, h. l. ponere, publici consilii participem dici senatorem. Catilina, ubi in senatum venit, *eorum*, *quae nomine populi de re publica deliberabantur*, *participem* se fecit, neque tamen eo consilio, (id quod recte monet Epkema) „ut rei publicae saluti consuleret, sed ut quid ageretur cognosceret senatoresque aut sua

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praesentia a fortibus decretis deterreret, aut, si ipsius minas contemnere auderent, qui eorum tollendi essent, constitueret."

notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. „Concedi potest, ut dicatur quis *notare* quos occidi velit. Sed cum eiusmodi *notatione* coniunctus est *delectus.* Quaero nunc, qui cogitari possit delectus, si unus quisque notatur?" B. — *Unum quemque* non esse *omnes senatores*, sed *singulos ex bonis,* quos suis consiliis maxime obstare videret Catilina, iam a compluribus interpretibus recte adnotatum est. — „Quid est autem *oculis designare?* Possumus sane aut nutu, aut vultu, aut oculorum coniectu quid velimus aliis significare: sed h. l. si Catilina dicitur ipse sibi oculis designare, quis hoc defendat?" B. — Hariolatur Vir Cl. Quomodo hic locus interpretandus esset, a Mureto discere poterat adnotante: „Nostrum, qui rem publicam salvam cupimus, unum quemque oculis designat ad caedem: non secus atque ii, qui sacrificare cogitant, designare oculis solent e toto grege pecudes ad sacrificia destinatas." — „Cumulavit scriptor pravam illam Latinitatem addito *ad caedem.* H. l. requirebatur *ad caedendum,* quod tam passive quam active explicare licebat, vel Participium, ut dicit Cicero Leg. Manil. §. 7. de Mithridate, — *Romanos necandos denotavit.* Ipsum illud, *ad caedem*, nullo alio modo expleri potest, quoniam non nisi active explicandum est, nisi *ad caedem faciendam*, alienissimum a sententia scriptoris." B.— Cumulat ipse iudex ineptias. *Caedem* tam passive quam active usurpari, ex indicibus verborum clarissime apparet. Eadem verborum consecutio repetitur §. 16. „omnes consulares, qui tibi persaepe *ad caedem constituti fuerunt*" et similiter Livius dicit II, 54, 4. *ad mortem destinare.*

nos autem, viri fortes, satisfacere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. „Primum, hoc inauditum est, ut quis ipse se *fortem* appellet, quum recte et apte aliis ea laus tribuatur: tum, quando quidem nulla certe vel consulum, vel ipsius Senatus fortitudo appellari poterat, quod coniuratorum audaciam tamdiu inulta fuerat, per ironiam *viros fortes* dici quis putet; quamquam hunc quidem locum quaevis ironia dedecebat." B. — Nugae! Cur hunc quidem locum quaevis ironia dedeceat, caussam non video iustam. Inesse in verbis oratoris acerbam ironiam, inde facile est intelligere, quod fortitudini signa ignaviae, *furorem ac tela vitare*, opponuntur. Sed mitigatur haec ironia addito *nos*, quo Cicero prudenter se ipsum viris fortibus annumerat. Verisimile est, quod putat Epkema (p. 10.), oratorem illud ante oculos habuisse, quod legimus §. 7., ubi multos principes civitatis ad caedem vitandam Roma profugisse memorat.

si furorem ac tela vitemus. „Postulabatur *si — vitamus.*" B. — Non iure postulatur; coniunctivus suo loco est. Cicero sententiam eorum affert, qui rei publicae satis facere (für den Staat genug zu thun) putent, si Catilinae tela vitent. — „Demus hoc, dici posse *tela vitare,* non tamen alterum est concedendum, ut dicatur *furorem vitare,* quoniam *furor* universe tantum de animi conditione dicitur, nec praesentem impetum indicat quo quis petatur." B. — Sibi non constat V. Cl.; pag. 52, ubi negat, *audaciae* tribui posse adiectivum *effrenata,* ipse *furorem* in vocabulis refert, *quae ipsa per se impetum quendam* declarent. Impetus autem sine re vel homine, in quem fiat, cogitari non potest; ergo semper *praesens* est. Hoc loco luce clarius est animi impetum indicari,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quoniam tela i. e. instrumenta apposita sunt, quibus furor in aggrediendo utitur. Praeterea B. secum pugnat, quum addit, recte dici alicuius *iram vitare.* Vel tironibus notum illud Horatii: *Ira furor brevis est.*

ad mortem te duci iussu consulis iam pridem oportebat. „Peccatur in eo, quod *ad mortem duci* de eo dicitur, qui iudicio damnatus est.“ B. — Transscribo, quod Bootius Rinkesio respondit: „Consulto orator illud dixit, ut Catilinam malefici poena dignum esse ostenderet.“

in te conferri pestem istam, quam tu in nos machinaris. „Pronomen *istam* efficit, (quoniam necessario ad id quod praecedit referendum est) ut *pestem istam* interpretemur *mortem.*“ B. — Pronomen *istam* h. l. non ad id, quod praecedit, refertur, sed relativa enuntatione, quae sequitur, accuratius definitur. Cf. Fin. V. §. 76. „Nonne meministi mihi licere probare *ista, quae a te sunt dicta?*“ Fam. II, 16, 4. „Nec me *ista* terrent, *quae mihi a te ad timorem fidelissime atque amantissime proponuntur.*“ Ibid. „*Istis ipsis, quae tu me mones,, ut caveam*“ *Pestis* mala sunt, quae Catilina omnibus bonis civibus quocunque artificio parare studuit; quare orator consulto utitur verbo *machinandi.* — „*Sed pestem in aliquem conferre* neque ulla ratione, neque ullo exemplo defendi potest.“ B. — Defendi potest dictionibus: „*omnia maledicta in aliquem conferre.*“ Att. XI, 8. 2. et: „*eadem* (scilic. vitia) ex *contrario in adversarios conferre.*“ De Orat. II, 43, §. 182. — „Postremo *machinari in quem* probandum non est, sed Dativus requiritur.“ B. — Rarior quidem est huius verbi cum praepositione *in* et accusativo coniunctio, sed non improbanda. Orator eam coniunctionem h. l. usurpasse mihi videtur, quod praecedit *in te,* cui melius opponitur *in nos,* quam *nobis.*

§. 3. *An vero vir amplissimus, P. Scipio — privatus interfecit; Catilinam — nos consules perferemus?* „Initio vitiosum est *an vero,* pro simpl. *an*“ (pag. 75.) „*An vero* non novam potest inchoare interrogationem, sed eam, quae opponatur antecedentibus.“ (p. 110.) B. — Nemo non videt, *vero* hoc loco, ut Rab. Perd. §. 16. Milon. §. 33. et 62., affirmandi caussa esse adiectum, et interrogatione verba: *Catilinam — perferemus?* opponi verbis antecedentibus: *ad mortem te — duci iussu consulis iam pridem oportebat.* Bakius autem, reprehendendi cupiditate ductus, quum simplicissima quaeque minime videre velit, loci Rab. Perd. §. 16. ratione habita, sententiarum ordinem requirit, quo perversior excogitari non potest. Sic enim nugatur: „praecedere oportuisset id ipsum, quod in clausula inest, *nos consules Catilinam orbem terrae vastare cupientem non perferemus:* aut saltem praemitti potuerat *ad mortem te duci oportebit.*“ Neque vero minus vana sunt, quae de artificio oratorio profert. „Apparet quaesitam esse oppositionem, primum ut *Scipioni privato* opponerentur *consules,* tum ut *mediocriter labefactare* oppositum haberet, *caede atque incendiis vastare cupientem,* postremo *rei publicae* ut opponeretur *orbis terrae.*“ B. — Non video, quod quaesitum sit, modo partes partibus recte comparentur. *Graccho* opponitur *Catilina, mediocriter labefactanti statum rei publicae* opponitur *orbem terrae caede atque incendiis vastare cupiens, privato* opponuntur *consules.* Melius quam B. quatuor partes sic sibi respondere statuit Quintilianus VIII, 4, 13: „*Hic et Catilina Graccho, et status rei publicae orbi terrarum, et mediocris labefactatio*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

caedi et incendiis et vastationi, et privatus consulibus comparatur." „Sed *privati* existimatio in primis labefactatur praemissis illis, *vir amplissimus*, *pontifex maximus*, neque usquam vocab. illud istius modi minus opportunis ornamentis debilitatur." B. — Dignitate *pontificis maximi* Scipionem a ceteris Scipionibus distingui, plane manifesto apparet; epitheton autem *amplissimus* non magistratibus tantum, sed quibusvis nobilibus clarisve viris tribui, recte monuit Epkema p. 10. Cf. Rosc. Am. §. 83: „*Is mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit.*" — „Perperam iungitur *privatus interfecit*, quoniam id *privato* tribuendum erat, quod non nisi magistratui licuisset, caedes autem (nam hoc demum est *interficere)* ab unoquoque exspectari potest." B. — Orator non de facilitate aut difficultate caedis, sed *de prompto Scipionis animo ac fortitudine* dicit, qui, quum *privatus* esset, caedem scelerati hominis perpetrare non debuerit. Ei autem laudi contraria est vituperatio *consulum*, *qui ne officio quidem satisfaciant.* — „Ipsum *interfecit* praeterea nimium est, et, quantum istarum rerum nobis aliunde cognitum est, vix credendum Nasicam sua manu *interfecisse* Gracchum." B. — Quum censor, Ciceronem Phil. VIII, §. 13. in commemorando P. Nasicae facinore eodem verbo *(interficere)* usum esse, concedat, non est, cur hoc quidem loco scriptori vocabulum *interfecit* exprobret. — *mediocriter labefactantem statum rei publicae.* „Contendo *labefactandi* verbum ex eorum numero esse, quae nullum adverbium adsciscunt, et *mediocriter labefactare* tam ineptum esse, quam *mediocriter perfringere leges*, aut *mediocriter interficere.*" B. — Ut V. Cl. desinat contendere, quod falsum est, legat velim Verr. Act. II. lib. 3, 18, 47: „Labefactarat *vehementer* oratores iam superior annus, proximus vero funditus everterat." Terent. Eun. III, §. 3, 3. „Ita me video ab ea *astute* labefactarier." Plaut. Merc. II, 3, 68. „Labefacto *paulatim.*" De ineptiis, quas ipse fecit, *mediocriter labefactare* cum *mediocriter perfringere leges*, aut *mediocriter interficere* comparans, nihil est quod dicam; unus quisque eas sentiet. — *orbem terrae caede atque incendiis vastare.* „*Orbem terrae vastare cupere* Catilinam nec dixit usquam Cicero, et ridiculus fuisset, si dixisset. Illud vastandi consilium non nisi vel urbem vel Italiam spectabat." B. — Quid revera spectaverit Catilina, constat; quid Cicero voluerit, non dubium est. Nemo est enim, quin perspiciat, oratorem rem augere, quo foediorem Catilinam Graccho opponat, cuius conatus consulto extenuat. Rem publicam Romanam vel etiam Italiam saepe *orbem terrae* dici iam adnotavit Epkema p. 10. Quae huic loco maxime respondent, legimus §. 9: „Hic, hic sunt in nostro numero, patres conscripti, in hoc *orbis terrae* sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostro omnium interitu, qui de *huius urbis* atque adeo *orbis terrarum* exitio cogitent." — „*Catilinam perferre* in vitio est, nec potest verbum illud personae obiectum habere." B. — Repugnant exempla: „Facile *omnes* (istos Graecos) perpetior et *perfero.*" De Orat. II, 19, 77. „*Hunc* (Verrem) denique *ipsum pertulissent* (civitates), si humano modo — peccasset." Verr. Act. II, lib. 11, 3, 9.

Nam illa nimis antiqua praetereo. „*Nimis antiqua* Livianum est; h. l. oportebat *nimis vetera* dici." B. — Tenet B., quod idem affirmavit Rinkesius, *vetera* dici quae diu ante facta sint. Probo, quod Bootius illi respondit: „Si Cicero hoc tantum dicere voluisset, se omittere Ahalae factum propterea, quod

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

diu ante factum esset, scripsisset *nimis vetera.* Sed consulem manu sua civem occidere, hoc abierat in desuetudinem, hoc erat *nimis antiquum.*" Cf. Verr. I, 56. „Vereor, ne haec forte cuipiam nimis antiqua et iam obsoleta videantur" Hoc addendum, quod Putschius in censura editionis Halmianae recte monuit (Jahrbücher für klassische Philologie 1857, pag. 654 sq.), plurali numero *nimis antiqua* Ciceronem indicasse, praeter Ahalam alia exempla antiquae Romanorum fortitudinis esse, quae afferri possent.

Sp. Maelium novis rebus studentem. Novis rebus studere Bakio languidius et infirmius de Maelio dictum esse videtur, quem pluribus locis perpetuo Cicero necatum esse tradat, quod *regnum appetivisset.* Qua de opinione non attinet disputare; nam quod suo quisque sensu iudicat, pro certo argumento haberi non potest. Gravius est, quod B. p. 110 dicit, locutionem *novis rebus studere* ipsam per se esse vitiosam. At hac in re argumentatio eius prorsus mirabilis est. „Novae res," inquit, „possunt exspectari et vel sperari, vel cogitari. Contra, *studemus* ei aut rei aut homini, id est, eam studio nostro et fortasse amore complectimur, quae iam est, *non ei quae futura est.*" Itane? Ergo in dictionibus Ciceronianis: „*studere praeturae, pecuniae aut imperiis aut opibus aut gloriae, virtuti, laudi, dignitati*" verbum *studere* pertinet *ad rem, quae iam est?* Quod nemo, nisi deliraret, affirmare posset. *Novis rebus studere* non nove dictum esse, similes docent locutiones, quas Bootius iam adnotavit: *rerum novarum cupidus* Verr. I, §. 19. *rerum novarum caussam aliquam quaerere.* Agrar. II, §. 91. cuncta *rerum novarum studio* Catilinae incepta. Salust. 37, 1.

Manu sua occidit. „Operae pretium erat sic loqui de Virginii inaudito facinore (Fin. II, §. 66.), minus decebat de Ahala." B. — Si quis, quae Livius l. IV. c. 14, §. 6. de Ahalae facinore narrat, legerit, quin *manu sua occidit* recte dictum sit, non dubitabit.

Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes — coërcerent. „Per illam anaphoram imitari sane studet scriptor Ciceronem." B. — Levissimum est argumentum. — *in hac re publica virtus.* „Difficile est hoc probare, ut, quemadmodum modo *severitas iudiciis* tribuebatur, *virtus rei publicae* tribuatur, quam vix aliter interpretari licet, nisi aut *praestantiam* aut *fortitudinem.*" B. — Perversa interpretatio. Non ita sunt inter se connexae sententiae, ut cum *severitate iudiciorum* comparare liceat *virtutem* quae fuit *in re publica.* Potius verba *fuit, fuit quondam virtus* referenda sunt ad proxime antecedentia. Dolens, quod amissa sit prisca in re publica virtus, orator praesentem senatorum ignaviam irridet. — „*ut viri fortes — coërcerent* propterea imperite dictum est, quoniam non tantum in optima, sed in quavis re publica idem a *viris fortibus* exspectandum fuerat." B. — Imperite dixit ipse censor. Quid? si desunt *viri fortes?* Viros qui in senatu aderant Cicero si duxisset fortes, certe proposito maiorum exemplo ad fortitudinem non excitasset. — *acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem.* „In primis violatur constans sermonis norma, primum quod *acria supplicia* dicuntur; tum quod in *hostem* nunquam valent *supplicia;* praeterea peccatur, quum *civis perniciosus* dicitur; ne *hostes* quidem ipsos *acerbos* appellari decebat." B. — Omnia vana. *Supplicium* perperam statuit B. dici non posse *acre,* quod illud adiectivum non coniungatur cum substantivis, nisi his significetur id, quod ipsum habeat vim

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

intendendi, ut *homo acer*, et *cogitatio acris*, et *dolor acer*. Ut accuratius cognosceret, quibus aliis substantivis adiect. *acer* tribueretur, V. Cl. collectiones verborum consulere debebat. Reperisset, multa etiam esse, quibus significetur *id, cuius vis intendi, augeri, acui possit*, ut *bellum, amor, cura, iudicium (iudicia acria* et severa. Rosc. Am 5. §. 11.), *nox (coniurationis acerrima.* Sulla 18, 52), *delectus (acerrimus* Liv. II, 28.), *poena* (Lucret. VI, 72). Quum *supplicium* sit *poena peccati* (Pison. 19, §. 43.), sine dubio huic substantivo non minus recte adiicitur *acre* quam iis, quae modo attuli. — Quod B. monet, in *hostem* nunquam cadere *supplicia*, exemplum *Reguli* ignoravit, qui a Cicerone (Off. III, §. 100.) diserte ad crudelissimum *hostem* et ad exquisita *supplicia* profectus dicitur. — Negat porro B., *civem* recte appellari *perniciosum*, ridicula de caussa, quod civis tantum aut bonus, aut improbus, aut e re publica esse dicatur. Quibus in rebus cernitur *improbitas* civium, nisi in iis, quae rei publicae saluti contrariae sint sive rei publicae perniciem afferant? Ciceronianum esse *civem perniciosum*, docet locus: „Quid est aliud adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut *perniciosi cives* velint esse? Philipp. I, §. 22. — Accedamus denique ad *hostes acerbos*. „*Acerbum*," inquit B., „pertinet ad alicuius sensum, non ad damnum aut interitum, quae ab hostibus exspectantur." At *hostis* ut sit *acerbus*, damnum aut interitum alicui attulisse debet. Si h. l. de hoste armato cogitandum esset, melius sane diceretur *acerrimus*; sed, ut de eo cogitemus, qui iam in potestatem Romanorum venerit, faciunt verba *suppliciis coërcere*. Hostis *acerbissimus* et *acerrimus* ita mihi videntur inter se differre, ut nostro sermone der bitterste und der heftigste Feind.

Habemus senatus consultum in te vehemens et grave. „Vehemens nullum Sctum appellare licebat, quoniam hoc adiectivum non nisi ad characterem vel hominis vel orationis describendum usurpatur." B. — Ut supra usum adiectivi *acre*, ita h. l. adiectivi *vehemens*, prout lubet, definit. Ad variarum rerum characterem describendum adiect *vehemens* usurpari, ex quovis indice verborum cognosci potest. Quid sit *vehemens Sctum*, iam recte interpretatus est Epkema p. 12: „*Vehemens Sctum* est, quo severum imperium Coss. conceditur, ut pro temporibus eo uti possint" — „Vitiosissimum autem est *Sctum in quem*." B. — Si *consulere in aliquem*, addito adverbio, Latine dixerunt Livius (45, 8: in secundis rebus nihil *in quemquam* superbe ac violenter *consulere* decet), Terentius (Heaut. 3, 1, 28: qui pessime istuc *in te* atque *in illam* consulis), alii scriptores, non potest esse vitiosum *consultum in te*, quum constet, substantiva verbalia saepe cum aliis nominibus ita coniungi, ut verba, unde derivata sunt. Cf. Krueger, Gramm. lat. II, § 501. 2, not. a. Omnino praepositiones *in*, *contra*, *adversus* saepe cum nominibus ad substantiva adduntur, ut obiectum significetur, quod actione aliqua petitur. Idem §. 502. 2, not. f.

„*non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis.*" Opinio est Bakii, neque si *consilium* ad genit. *huius ordinis* referatur, neque si cum vocabulis *rei publicae* coniungatur, sententiam ferri posse. Mihi quidem *rei publicae* non genitivus, sed dativus videtur esse: *non deest rei publicae aut consilium aut auctoritas huius ordinis.* Dativum vero esse, apertum est ex altero membro: *nos, nos desumus*, ad quod vocabula *rei publicae* pertinent. Senatus consultum adest; ergo senatus suo officio satisfecit, non defuit rei

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

publicae. Est autem senatus tam *consulere* de rebus publicis quam *decernere*, quid sit faciendum.

nos, nos, dico aperte, consules desumus. Haec verba, quibus, *consules officium non praestare*, ab oratore dici, minime obscurum est, nescio an nemo ita intellexerit, ut Bakius, qui scribit: „Quum consules deesse rei publicae dicuntur, videtur hoc intelligendum esse, rem publicam nullos habere consules.“ —

Cap. II. §. 4. *Decrevit quondam senatus.* „Istud *quondam* vel in remotissimo tempore ponitur, vel, si in citeriori, ubi difficile est accurate definire. Neutrum valebat in Opimii facinore, cuius consulatus inciderat in A. U. 633.“ B. — Id, quod rectius est, iam Bootius Rinkesium appositis exemplis docuit p. 27: *quondam* indicat quod *quodam tempore* factum est, quod *nolumus diligentius definire.*“

ut L. Opimius videret ne — caperet. „Peccat scriptor in historia, quippe ipsa Scti verba, diversa ab his, citantur a Cicerone Philipp. VIII, §. 14.“ B. — Legitur ibi: „Quod L. Opimius consul verba fecit de re publica, de ea re ita censuerunt, uti L. Opimius rem publicam defenderet.“ Quae si cum verbis huius orationis comparaveris, qua in re contra historiam peccatum videbitur? Ego hoc tantum intelligo, oratorem *idem*, quod in hac oratione, accuratius dixisse in Philipp. VIII, §. 14.

nox nulla intercessit. „Quo modo scriptor *nullam noctem intercessisse* interpretetur, difficile est assequi, tanquam si plures noctes, non interpositis diebus, praeterire possent.“ B. — Solus B. assequi non potest, Gracchum eodem die interfectum dici, quo senatus Opimio consuli rem publicam defendendam dedit.

interfectus est propter quasdam seditionum suspitiones C. Gracchus. „Perverse hoc sic enuntiatur. Senatus consultum factum est propter illas suspitiones, eoque imperio munitus Opimius interfecit Gracchum, ne quid res publica detrimenti caperet.“ B. — Perversitas ipsius interpretis est. Operae non est pretium, tam absurda refellere. Nemo non videt, caussam adiectam esse, cur *interfectus* sit nec vero, cur *Senatus consultum* factum sit. Eadem est artificiosa (minime ridicula, ut ait B.) attenuatio facinorum C. Gracchi, quam legimus §. 3. de conatibus Ti. Gracchi. „Vitiose praeterea plur. *seditiones* ponitur, quae perpetuo singulae sunt.“ B. — C. Gracchum animos civium identidem sollicitasse, inter omnes constat. Eadem significatione, qua hoc loco, numerus pluralis ponitur in orat pro Sulla §. 66: „eius (Autronii) adspectus, concursatio, stipatio — metum nobis *seditiones*que adferebant.“ — *clarissimo patre, avo, maioribus.* „H. l. inepta sunt.“ B. — Immo ad id, quod orator in animo habet, maxime apta sunt; severitatem enim iudicii illustraturus cum vi adiecit, ne merita quidem maiorum in Graccho puniendo curasse senatum. Ad eandem severitatem spectat exemplum, quod sequitur: *occisus est cum liberis M. Fulvius consularis*, in quo neque *asyndeton* cum Bakio improbare neque *puerilem variationem* deprehendere possum.

Simili senatus consulto — est permissa res publica. „Non recte dicitur *permissa res publica*, quod multo latius patet quam (in Scto, quod exponitur

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Rab. Perd. §. 20.) *ut imperium populi Romani maiestasque conservaretur.*" B. — In commemorando hoc Scto oratorem rem, non verba spectasse, inde apparet, quod Phil. VIII, 15. dixit: „C. Mario, L. Valerio consulibus senatus rem publicam defendendam dedit."

num unum diem postea. „Constans observatio est, partic. *num* non tantum ita usurpari, ut responsum negans necessario exspectetur, sed praeponi quoque ei ipsi, quod negandum sit, nullis aliis interpositis. Itaque *num unum diem* hoc responsum tulisset: „non, sed plures dies." B. — Quod si Cicero eam quaestionem afferre voluisset, quam B. intelligi putat, illi dicendum fuit: num unum tantum diem? Non minus iure responderi potuit: „non, sed brevius tempus, ne unum quidem diem." — „*Postea* h. l. ineptum et improprium est, quoniam hoc adverbium per se ad maius temporis intervallum pertinet." B. — Addito adverbio *postea* accurate significatur, ut recte monet Halmius, intervallum, quo quod senatus decreverat consules perfecerunt, non maius fuisse quam unum diem.

L. Saturninum — et C. Servilium — mors ac rei publicae poena remorata est. „Perversissime ita loquitur scriptor, quoniam *remorari* idem fere est quod retardare, suspensum tenere, ita ut mora interiecta sit ne quid fiat, aut ne quis quid perficiat. *Mors* Saturninum *impedire* potuit quominus nefaria sua consilia perficeret, sed nullo modo dici potest *eum remorata esse*, siquidem mors non retardat, sed plane extinguit consilia eius qui moritur." B. — Si mors cogitatur caussa, quae vitae finem affert, dandum est, quod B. dicit; sed aliter res se habet, si mors cogitatur persona, minister quasi Justitiae. Nonne tum recte dicitur eum remorari, ad quem tardius accedit quam exspectatur? Nihil igitur hic locus habet offensionis, dum modo eum interpretere: Mors, ne unius quidem diei mora interiecta, i. e. statim eodem die, quo consulibus permissa res publica est, Saturnini vitam finivit, vel, ut utar dictione, quam orator §. 29. adhibuit: Mors ne unius quidem diei usuram Saturnino ad vivendum dedit. — Offendit praeterea Bakium genitivus *rei publicae* cum substantivo *poena* coniunctus, quem ferendum non esse censet, quum perpetuo eius rei genitivus addatur, propter quam quis puniatur. Sed, quidquid obloquitur, mihi quidem non persuasit, *poenam rei publicae* ab editoribus perperam comparari cum *poena legis*, quae verborum coniunctio saepius a Cicerone usurpatur (Cat. I, 22. Murena 89. Off. III, 36. Fin. I, 47). Nam si probatur *poena legis*, quae non poena est *propter legem*, sed poena *lege* constituta, improbari non potest *poena rei publicae* i. e. poena a re publica constituta sive imposita.

vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. „Sic hoc dictum est, (vicesimum iam diem) quasi quotidie hebescere potuerit: ita enim significatur continuatio per illud tempus, per accusativum." B. — Inscite. Vicesimum iam diem non ad *hebescere*, sed ad *patimur* pertinet. — „Sed prorsus repugnat sermonis ingenio, ut *auctoritati* tribuatur *acies;* quae figura probari potest in *ingenio*, aut in *mente*, quam acuere licet, in auctoritate non nisi vis, aut gravitas appellari." B. — Nonne vim, quae in auctoritate est, acuere licet, praesertim quum hac voce significetur potestas exsequendi ea, quae senatus decrevit? „*Acies* non minus convenit *auctoritati*, quam *menti* et *ingenio*. Proprie quum sit acies ἄκη, pars acuta ferri, transfertur ad quamvis rem acutam." Boot. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verumtamen inclusum in tabulis, tanquam in vagina reconditum. „Abutitur scriptor coni. *verumtamen.*“ B. — Melior lectio veterum librorum est *verum,* eamque recepit Halmius. — „*Inclusum* vitiose ponitur in Scto. — Omnino *inclusum* appellatur id, quod nondum palam prodiit. — Hinc intelligitur, quam impropria sit similitudo *gladii*) in vagina reconditi,* in quo ipso peccatur, quoniam gladius tum in vagina reconditur, si prius eductus est.“ B. — Quo quid absurdius dici potest? Inclusum est, quod nondum palam prodiit. Ergo *consul* in carcere *inclusus* (Attic. II, 1. 8.) appellatur is, qui nondum palam prodiit; item *oratio* in epistolam *inclusa* (Attic. I, 16, 10), *querimonia* versibus *inclusa* (Horat. ad Pison. v. 75.), *smaragdus* auro *inclusus* (Lucret. IV, 1123.) res sunt, quae nondum palam prodierunt! Quis vero contendat, *gladium in vagina recondi non posse nisi ex ea eductus sit,* quum eum videat non prius posse omnino recondi, quam a fabri manu profectus sit?

Quo ex senatus consulto confestim te interfectum esse convenit. „Haec tum demum recte dicerentur, si Scti verbis caedes Catilinae imperata fuisset.“ B. — Ponit orator, quod sibi placet ex vehementi (§. 3.) senatus consulto colligere; ceterum, ne verba ita intelligerentur, ut B. vult, prohibuit, quum usus est verbo *convenit* i. e. utile, consentaneum fuit, quod V. Cl. perperam dicit improprie positum esse; Tullianum est, ut Matthiae in edit. sua exemplis docuit.

vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. „Non dicitur *vivere ad quid faciendum,* sed *vivere ita, ut quid facias.* Omnino illa constructio *(ad faciendum)* in iis tantum ferri potest, in quibus ipsis quaedam vis aut auctoritas insit.“ B. — Ferri potest etiam in verbo *vivere;* nam eum, qui vivat, agendi potestatem et aliquid, quod agendo petat, habere nemo negabit. — „Porro, *deponere audaciam,* aut *furorem,* aut *amentiam,* quaeque sunt huius generis, minus proprie dicitur quam *consilia nefaria* deponere.“ B. — Inane argumentum est.

cupio me esse clementem, cupio in tantis republicae periculis me non dissolutum videri, sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemno. „Inepta primum est illa anaphora.“ B. — Immo apta; nam repetito verbo ea, quae cupit cum vi opponit iis, quae sibi ipsi crimini vertit. „Sed *me esse clementem cupio,* vitiosissimum est, multoque melius alterum *videri.* Nempe *cupio me esse* tum ponitur, quum quis ipse se commendare, aut crimen a se avertere studet.“ B. — Verbis *cupio me esse clementem* consulem se commendare studere, nescio num quis neget praeter Bakium, cuius prava est opinio, scriptorem h. l. uti ea forma in excusando, et consulem sic loquentem inducere, quasi excuset omissum officium, quum nondum fecisset, quod fieri oportuisse ipse dixisset. Eam ipsam ob caussam, quia nondum fecit, quod fieri oportuit, non potest *clementiam* excusare; nam me apud Bakium primum legisse fateor, clementiam in omisso officio poni. — „Miro nunc asyndeto subiicitur id, quod clementiae contrarium est, *non dissolutum,* quod idem est atque *satis severum* aut *diligentem.*“ B. — *Non dissolutum* idem est atque *non nimis remissum* aut *non negligentem.* —

*) B. retinet lectionem: tanquam gladium in vagina reconditum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„Ingenti errore autem usurpat *inertiae* et *nequitiae* vocabula. — Etenim *inertia* — deprehenditur in *fuga laboris*. — Sed in Cicerone consule non industria et scientia postulabatur, sed promptus animus et vehemens in agendo; cui non *inertia* sed *ignavia*, et *mollities* et *lenitas* opponitur. Minus etiam, si fieri potest, *nequitia* h. l. appellanda erat, quae primum *frugalitati* opponitur, tum in *flagitio* et *libidine* cernebatur.“ B. — *Fuga laboris desidiam* coarguit (Muren. §. 9.) et *desidiae* opponitur *industria* (Sest. §. 103.). *Inertia* ad actionis eventum refertur; *iners* est, qui nihil proficit, quia *arte* caret. (Artibus qui carebant, *inertes* a maioribus nominabantur. De Fin. II, 34.). Opus erat consulem severe agere; contra, artificiose se accusans, fatetur, se nihil facere, quod ad pericula a re publica avertenda accommodatum sit. Auget etiam hoc crimen addito vocabulo *nequitiae*, quae hoc quidem loco non in *flagitio* et *libidine* cernitur, sed, ut Muretus recte interpretatur, eiusmodi habitus est, quo quis nulli rei utilis est. *Nequam* enim contrarium *frugi* habet. Homo *frugi* omnia recte facit. (Tusc. IV, §. 36.) Contra „*nequitia* ab eo, quod *nequicquam* est in tali homine: ex quo idem *nihil* dicitur“ (Tusc. III, §. 18.). Ergo non mirum est, quod *inertissimi homines singulari nequitia* praediti nuncupantur, de Fin. V, §. 56. Hic enim Madvigius, ipsa librorum fide fretus, rectissime probavit lectionem *nequitia*, quippe qua *inertia et segnis mollities* significaretur. Eandem lectionem nuper Baiterus recepit. Unde patet, totum hunc locum sic interpretandum esse: Cupio me esse *clementem* i. e. non nimis severum; cupio vero etiam in tantis periculis me *non dissolutum* i. e. non nimis remissum videri; sed quum eam moderationem tenere studeam, ut ne nimia aut severitate utar aut remissione, diem ex die duco, ipseque mihi iam videor *inertiae nequitiaeque* condemnandus.

§. 5. *Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus conlocata — molientem.* Offenditur B. in eo, quod haec neque cum superioribus coniunguntur, neque ulla conclusione in sequentibus illustrantur, quo pertineant. Mihi quidem offensioni non sunt; etenim illis verbis *tanta rei publicae pericula*, quorum modo mentionem fecit orator, *illustrari*, perspicuum esse puto.

„*Castra* sane in hac re commemorantur Sull. §. 33., sed in iis Catilina esse dicitur ad occasum interitumque rei publicae, non contra rem publicam ipsa castra locata esse. Poterat exercitus comparari contra rem publicam, aut quidvis aliud suscipi: sed *castra habere* aut *locare*, non attingit talia consilia.“ B. — Absurde; quasi castra locentur, exercitu non comparato. — „Quum porro dicitur *in Italia* — in *Etruriae faucibus*, manifestum est non tantum abundare verba *in Italia*, sed inepta esse, et hoc tantum historiae convenire, quod dicitur in *Etruriae faucibus*.“ B. — Minime ineptum mihi videtur esse *in Italia*, sed primarium in hac re; eo audaciae coniuratos procedere dicit orator, ut ipsa in Italia ante oculos populi Romani castra ponant, unde bonis civibus perniciem afferant. *In Etruriae faucibus* non nisi explicandi caussa additum est, ut pars Italiae significetur, quam sedem bello delegerint hostes.

crescit in dies singulos hostium numerus. Ex Bakii opinione scriptor rectius dixisset: „quotidie maior fit hostium numerus.“ Statuit enim inter *quotidie* et *in dies singulos* hoc interesse, ut *quotidie* idem fieri dicatur; *singuli dies* ubi dicantur, rationem haberi eius sive momenti, sive numeri, qui alius alii de singulis illis tribuendus sit. Sed haec subtilius quam verius excogitata sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nunquam illa notio in voce *singuli* inest, sed significat *quemque per se*, et *in singulos dies* si cum gradu comparativo adiectivi aut cum verbo, quod vim amplificandi habet, coniungitur, non hanc admittit interpretationem, ut *quovis die maior quam priori accessio fiat*, sed *ut alio post alium diem maior accessio fiat.* Potest igitur locus Attic. V, 7: „*quotidie* vel potius *in dies singulos* breviores litteras ad te mitto," sic explicari, ut B. explicavit: „*in dies singulos* litterae breviores erant ita, ut deinceps quae hodie darentur breviores essent, quam quae heri;" sed locus Att. II, 22, 3: „ita nos gerimus, ut *in dies singulos* et studia in nos hominum et opes nostrae augeantur," non ita intelligendus est, ut *quovis die maior priori accessio fiat.* Quis est enim, qui pro certo affirmare possit, studia in se hominum quovis die magis aucta esse, quam praecedenti? Apparet, Ciceronem nihil dixisse nisi hoc: *quovis die maiorem accessionem fieri.* Quare B. inepte adiunxit: „Vix credibile est scriptorem huiusmodi quid voluisse, ut quovis die maior quam praecedenti die accederet numerus ad illum Catilinae exercitum." —

„*Imperatorem castrorum* vitiose appellat scriptor, quum non nisi *exercitus* imperator dicatur." B. — Nomen *imperatoris* non modo *exercitus*, verum etiam *aliarum rerum vocabulis* accuratius definitur. Ut alia praetermittam, Cic. apud Non. p. 24, 22: „Nolo enim eundem populum *imperatorem* et portitorem esse *terrarum.*" — „Nec omnino decebat in Catilina *imperatoris* nomine abuti, quem satis erat *ducem* appellare, ut facit Sull. §. 33." B. — Non decebat Bakium arte critica abuti. Luce clarius est, Catilinam *imperatorem castrorum* appellari, quod Manlius, qui castris praeerat, eius imperio paruit.

intra moenia atque adeo in senatu videmus intestinam aliquam quotidie perniciem rei publicae molientem. „Recte editores *videmus* a seqq. distinxerunt, quippe vix probari poterat, si dixisset *videmus molientem.*" B. — Participium *molientem* ad verbum *videmus* pertinet, ut distinctio apta non sit. Quum accurate dici posset *quotidie intra moenia perniciem rei publicae moliri*, Cicero non dubitavit *atque adeo in senatu* adiungere, ut periculum et maxime propinquum et gravissimum esse significaret, parum curans, quod assiduum Catilinae studium eo loco non ita fervere posset. — „Satis ridiculum est, *aliquam perniciem rei publicae* appellari, tanquam si *pernicies*, aut *interitus* diversa genera aut modos pateretur." B. — Mirum est, Bakium ignorasse varia genera ut *mortis*, sic *perniciei* dignosci posse. Nec vero minus mirum est, eum *intestinam perniciem* rei publicae cogitare non potuisse. *Intestina pernicies* rei publicae malum est, quod in venas quasi rei publicae permanare inque eius visceribus saevire possit. Quod B. postremo dicit, *quotidie perniciem moliri* ideo repudiandum, quoniam *moliendi perniciem* una et continuata actio sit, unum idemque consilium, ut ipsa coniuratio, in qua nullo modo quis dicat, *quotidie coniurare* — id propter adiectam comparationem ridiculum est. Quis unquam audivit, *quotidie perniciem moliri* idem esse ac *quotidie coniurare?* Primum perniciem moliri *unius cuiusque* est, coniurare *plurium;* tum perniciem moliri attingit *consilium ipsum*, coniuratio *consensu* tantum *de consilio quodam* constat; deinde unus quisque *idem consilium* quotidie persequi potest; coniuratorum *consilia* saepe *diversa* sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

si te — iam comprehendi, si interfici iussero. „Reliqua recte latine dicta, vitiantur addito *iam* i. e. nunc, statim: quoniam *si iussero* — nullam praeterea temporis definitionem admittit, nihilque aliud addi, nisi quod statim futurum est.“ B. — Mihi vocula *iam* hoc loco videtur esse concludentis: Wenn ich dich demnach greifen, wenn ich dich tödten lasse. Cic. Phil. 2, 8, 19. „*Iam* illud cuius est, non dico audaciae, sed stultitiae?“ Id. de imp. Cn. Pomp. 14, 42. „*Iam* quantum consilio valeat, saepe cognostis.“ Id. Brut. 43, 159. „*Iam* in altercando invenit parem neminem.“ — „Quandoquidem istud iussurus consul non erat, oportebat eum dicere, *si iuberem, esset mihi verendum.*“ B. — Ponit consul id, quod potest efficere; si dixisset: *si iuberem, esset mihi verendum*, posuisset id, quod efficere nolebat.

credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. „In usitatissima, quam scriptor Ciceroni sublegit, dicendi forma duplici modo peccatur. Primum, ironiae indicium illud, *credo*, si in sententiae apodosi usurpatur, non initio poni solet, sed altero aut tertio loco. Tum prave collocata est negatio *non*, quam praemitti oportebat, in hac enuntiandi forma, ei ipsi quod quis speraret aut exspectaret.“ B. — Ciceronem verbum *credo*, ubi ironice dictum est, non semper ex lege, quam B. commemorat, collocasse, iam Bootius exemplis, ex Nat. Deor. I, §. 86. et oratione pro Archia §. 25. sumtis, demonstravit. Neque restricte hanc legem observarunt Caesar et Salustius et poetae. Cf. Kritz ad Sal. Cat. 52, 13. — Quod attinet ad negationem *non*, B. plane neglexit, duas sententias inter se opponi, quarum altera id significatur, quod omnes boni dicunt, altera id, quod nemo dicit. Praedicatum, quum idem sit, semel positum, ut saepius, congruit cum proximo subiecto *quisquam*, supplendum est ante subiectum *omnes boni*, scil. *dicant*, ad quod negationem animo retulit orator; haec igitur non prave collocata est. — „*Serius* et *crudelius* inscite inter se opponuntur: quae ratio soleat intercedere inter huiusmodi Comparativos, novit unus quisque vel ex iis exemplis, quae apposuit Zumptius in grammat. lat. §. 690.“ B. — Ipsum censorem inscitiae convincam. Exempla, quae Zumptius apposuit, sunt: *longior quam latior, calidior quam cautior pericula adiit, fortius quam felicius bellum gesserunt, acrius quam constantius proelium inierunt;* praeterea *duo loci ex Verr. 2, 72. et Brut. 68.* Omnia illa exempla ita sunt comparata, ut unam sententiam contineant, in qua duo adiectiva aut adverbia inter se opponuntur, hoc autem loco duae sententiae inter se opponuntur: *omnes boni dicent* potius, hoc serius (zu spät) a me factum esse, quam *quisquam dicet*, hoc crudelius (zu grausam) a me factum esse.

quod iam pridem factum esse oportuit. „Dubitare licet, an iam pridem in illo brevi intervallo viginti dierum recte ponatur.“ B. — Vana dubitatio est. — „Tum in vitio est *oportuit*, quod perfectum non nisi in eo, quod vere factum sit, usurpatur, itaque hoc loco indicat, factum esse id, quod tamen in reliquis perspicue dicitur, *non* factum esse. — Contra imperfectum ponitur, *oportebat*, in ea re, quae facta non erat.“ B. — Non memini me legere, quod perversius de discrimine inter *oportuit* et *oportebat* propositum esset. Exemplis, quae ipse in suam sententiam affert, demonstrabo, quam sit caecus. „Planc. §. 8: *si a populo praeteritus est, quem non oportuit:* refertur ad Laterensem, qui prae-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

teritus erat.“ At ibi dicitur, quod huius orationis loco plane contrarium est: *non* oportuit. — „Sic explicandum est id, quod est Acad. II, §. 10: *totam enim rem Lucullo integram servatam oportuit*: quibus verbis indicari puto, revera eam rem integram Lucullo servatam esse.“ — At statim subiicitur: *et tamen fortasse servata est.* Unde quis, excepto Bakio, aliud colligere potest nisi hoc: Ciceronem praecedentibus verbis indicasse: eam rem — *non* servatam esse? — Utraque temporis forma, et perfectum *oportuit* et imperfectum *oportebat,* de eo, quod *non* sit factum, usurpatur; verum tamen negatio non inest in ipsa forma, sed ex interpretatione sententiarum oritur, quae sic inter se cohaerent, ut conditioni, quae aut vere praemissa aut simul audienda est, factum aliquod non respondeat. Imperfectum *oportebat* usurpari solet, quum res, quae *intra aliquod spatium* temporis praeteriti, aliarum rerum ratione habita, fieri poterat, sed non est facta; contra perfecto *oportuit* utuntur scriptores, quum rem *momento* temporis praeteriti non esse factam cogitant, nulla aliarum rerum ratione habita. Itaque Cicero, dicens I, §. 2: „Ad mortem te, Catilina, duci iam pridem *oportebat,*“ meminisse videtur sceleris a Catilina, occasione data, commissi, quod ita erat comparatum, ut interfici posset; quum autem scribit: „quod iam pridem factum esse *oportuit,*“ alia re omissa, solum momentum temporis, quo interficiendus fuit, respicit.

Tum denique interficiere. „Abutitur part. *tum denique,* quae post plurium rerum enumerationem velut in extremo, quod exspectabatur, usurpari solent.“ B. — Abutitur B. patientia eius, qui legit. Quae Catilinae exspectanda sint, antequam consul ad extremum progressurus sit, satis perspicue in sequentibus enumerantur.

qui id non iure factum esse fateatur. „Perridicule haec ita enuntiat, ut primum unus quisque fateatur factum esse, dein id ipsum fiat.“ B. — Stulti est, non intelligere, oratorem animo praecepisse iudicium, quod ipsi homines Catilinae similes de eius morte laturi essent, utrum iure interfectus esset, necne.

praesidiis oppressus. „Quum satis constet *praesidia* ad defendendum valere, praestat aliquo modo altera lectio *obsessus,* quod ipsum tamen vix defenditur locis Agr. II, §. 75. et Agrar. I, §. 16. Scilicet *obsidere* — istic idem est quod *occupare* — unde apparet loca obsideri posse: sed quo modo, quaeso, homo obsideatur?“ B. — *Praesidia* non solum ad defendendum valent, sed etiam ad coercendum eum, qui *iniurias cogitet;* itaque propter verbum quod sequitur, *se commovere,* praeferendum est *oppressus,* quae lectio etiam codicum auctoritate adiuvatur. Verum tamen ne verbum quidem *obsidere* ea de caussa reiiciendum est, quam B. affert; nam ut loca, ita *homines obsideri* dicuntur a Cicerone (Orat. II, §. 210.), a Caesare (B. G. I, 184.), a Corn. Nepote (Epam. VII, 1. Hannib. XII, 4).

§. 6. *vives ita, ut vivis, multis meis et firmis praesidiis oppressus, ne commovere te contra rem publicam possis.* „Falsa syntaxis, quoniam post *ita* necessario *ut* requiritur.“ B. — Non falsa est syntaxis, sed falsa Bakii interpretatio; nam coniungenda sunt: vives *ita, ut* vivis, quam comparationem ille plane neglexit; *ne* ex participio *oppressus,* quod prohibendi significationem habet, non ex partic. *ita* aptum est. — „*Commovere se contra rem publicam* ideo vitiosum est, quoniam Cicero *commovere se* perpetuo absolute ponit, nullumque obiectum in ea locutione intelligit: igitur tum *loco se commovere* dicitur,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tum de quocunque motu aut gestu. — Sed neque istud dicere licebat, neque *vivere contra rem publicam*, nec quae horum similia sunt.“ B. — *Ne commovere te contra rem publicam possis* per litoten dictum est pro: *ne aliquid contra rem publicam moliri possis.* Satis defenderunt hanc locutionem Bootius et Epkema. *Vivere contra rem publicam* inepte comparatur.

Multorum te etiam oculi — speculabuntur atque custodient. „Coniunctio *etiam* hoc indicare intelligitur, aliquanto maius esse *multorum oculis speculari Catilinam*, quam ipsum *consulis praesidiis obsessum esse.*“ B. — Minime; *etiam* hic significat noch immer, ut sententia sit: pergent oculi et aures speculari atque custodire, sicut adhuc fecerunt. — *oculi et aures — speculabuntur atque custodient.* „Imitari conatur Ciceronem. — Sed non contentus scriptor eo, quod *oculi custodire* dicuntur, adiunxit primum *aures,* tum *speculari.* Si quodam modo concedatur, ut *aures* dicantur *custodire,* non certe poterunt *speculari.*“ B. — Utrumque verbum et auribus et oculis convenire, compluribus exemplis demonstravit Epkema. Falli autem, qui *speculari* de oculis tantum dici existiment, vel uno Livii loco convicit, qui lib. XLII, 25, 8. haec scribit: „quod alii super alios legati venirent *speculari dicta factaque sua,* quod se ad nutum imperiumque eorum omnia *dicere ac facere* aequum censerent.“

non sentientem, sicut adhuc fecerunt. „Prava et inscita collocatio verborum. Oportebat enim arcte coniungi *non sentientem custodient.*“ B. — Inscitiae crimen ad ipsum censorem recidit. *Sicut adhuc fecerunt* brevius dictum est pro: *sicut adhuc speculati sunt atque custodiverunt;* itaque non minus ad *non sentientem* pertinet quam ad *custodient*, quae verba interposita sententia recte disiunguntur. — „Tum illud *non sentientem,* quid vult? Nam *sentire* aliorum *oculos custodientes*, proprie quidem nemo dixerit. Igitur hoc videtur dicere, Catilinam non attendere, non animadvertere multorum oculis se observari.“ B. — Immo hoc dicit: Catilinam multorum oculis *ita observatum iri, ut non sentiat* se observari. „Postremo, *sicut adhuc fecerunt* perperam illis, *non sentientem,* subiicitur. In eiusmodi etiam explicatione idem servari oportet subiectum, quod est in antecedenti: contra h. l. *non sentientem* ad Catilinam, *fecerunt* ad oculos multorum pertinet.“ B. — Quae sit recta huius loci explicatio, iam significatum est.

Postquam demonstravi, Bakium ne unum quidem argumentum attulisse, quo verba, quae duobus prioribus capitibus primae orationis Catilinariae continentur, *stulti et inepti et indocti declamatoris esse* probaret, contra multa reperiri, quibus censor, scriptoris vitia denudans, sua ipsius vitia denudaret, hoc tantum habeo, quod adiungam, me plane reiicere criticam artem, qua ex sua quisque opinione, aut non certis aut non idoneis usus rationibus, quaecunque in libro quodam ei displiceant, ab aliena manu profecta esse conetur ostendere. Eam enim rationem si sequeris, vereor ne nullus scriptor, non modo latinus, sed cuiusvis populi reperiatur, a quo non possis abiudicare, quae eius propria tradantur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf